RERUM SCENICARUM CAPITA SELECTA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

D. XXVII. M. APRIL. A. MDCCCXXXV.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IULIUS GUIL. SOMMERBRODT,

SILESIUS

SOCIETATIS GRAECAE LIPSIENSIS SOCIUS.

OPPONENTIBUS:

AD. PHILIPPI, PHIL. DR.
ANDR. HOFFMANN, PHIL. CAND.
GUIL. PASSOW, PHIL. STUD.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

THESES.

1. *In Aristoph. Acharn. transponendi sunt vv.* 323 *et* 324*:* Χορ. οὐκ ἀκουσόμεσθα δῆτα.
   Δικ. μηδαμῶς, ὠχαρνικοί.
   Χορ. ἐξολοίμην, ἢν ἀκούσω.
   Δικ. δεινὰ τἄρα πείσομαι.
2. *Nemo medicus, nisi psychologus.*
3. *In Graecorum comoedia saltatio praevalet, in tragoedia cantus.*
4. *Judaei emancipandi sunt.*
5. ἡ καθ' ἕνα πάροδος *non differt a* σποράδην παριέναι.
6. *In Platonis Charmide p.*160. *E. conclusio falsa est.*
7. *Musicae origo laetitia.*

Duplex est, nisi fallor, ratio, cur in veterum rebus scenicis parum hucusque profecerimus: altera in fontium penuria sita, altera in interpretum ingenio.

Etenim adeo vel obscura, vel contorta, vel manca, vel corrupta sunt, quae veteres scriptores nobis tradiderunt, vix ut unquam tenebras his rebus offusas prorsus discussum iri credibile sit. Quaecunque enim servata esse gaudemus, cum in vetustissimorum scriptorum operibus recondita latent, tum apud rhetores, grammaticos, lexicographos passim collocata sunt. Quorum priores et raro et in transcursu tantum mentionem injecerunt, ut quibus temporibus non opus erat copiosius exponere, posteriores autem a pristino rerum scenicarum statu nimis remoti, facile suum cum illo confuderunt. Qui vero ex utrisque hauserunt scholiastae, tam inepte saepissime, quidquid invenerunt, descripserunt, ut fallacissima sint eorum testimonia, neque nisi maxima cautione adhibita in usum nostrum converti possint. Sic quum summam operam exilissimi fere fructus eluderent, viros ingenii acumine praeditos quid mi-

rum, quae fontes suppeditare nollent, suapte indole effingere et quae manca tradita essent, conjecturis explere conatos esse? Etenim si quis in rem aliquam ita inquisiverit, ut partem sibi assecutus esse videatur, non libenter in media via persistet, sed enixis viribus imaginem quam clarissimam sibi comparare studebit.

Atqui vix est quod moneam, litteris tali modo non magnam utilitatem nasci posse. Ut enim conjecturae ingeniosae non semel ad veritatem dirigant, abstinendum tamen est in rebus altissimo situ obrutis. Minutiae, quae videntur ad criticam severitatem exigendae, in aetatum discrimina candide investigandum, verborum vicissitudines probe discernendae, sobrie dijudicanda sunt, quae invenimus, quae nescimus ingenue fatenda. Neque quamquam nihil magni continuo praestamus, desperandum, sed indefesso labore opera danda est. Sic demum idoneo fundamento substructo cum utilitate latius nobis evagari licebit.

Quae quum mihi persuasissem a juvene majori operi impari non alienum esse judicavi, voluntatem certe viris doctis in re laboriosa probare. Atque ne totum atque integrum opus moliri conatus in lubricam divinationis viam abriperer, singula tantum Graecorum rei scenicae capita tractanda mihi sumpsi. Quae viri praeclari ut benevole accipiatis, rogandum atque orandum mihi est, ut quod maxime. Sunt enim illa neque prorsus nova, neque

magnopere gravia. Multa fortasse me latuerunt; non raro operam fefellit eventus. Difficultatum spectra discutere studui; quae vere sunt, explicare neglexi. Nihilominus si vel tantillum litteris me profuisse judicaveritis, gaudebo; gutta enim cavat lapidem.

Caput I.

De chori tragici principibus.

§. 1. De chori dispositione.

Quamvis Phidiae aliique ex ungue leonem, ex parte totum felicissime cognoverint, praestat tamen semper, res antiquae quomodo vere fuerint, non quomodo esse potuerint, inquirentibus nobis inversa ratione procedere. Itaque et ipse, priusquam ad rem propositam aggrediamur, rei optime consultum esse judicavi, de totius chori dispositione pauca praemittere.

De qua quum novissimis temporibus multa egregie exposita sint a Muellero [1]), Kolstero [2]) et Lindnero [3]), licet mihi esse brevissimo.

Et quadratum quidem eum fuisse scimus ex Tzetz. prolegg. in Lycophr. p. 254—55. Tom. I. ed. Mueller. — *τραγικῶν δὲ καὶ σατυρικῶν καὶ κωμικῶν ποιητῶν κοινὸν μὲν τὸ τετραγώνως ἔχειν ἱς-*

---

[1]) In edit. Aeschyl. Eumenid. p. 71—82.

[2]) De Parabasi. Altonae 1829.

[3]) In Jahnii Annall. schol. 1827. Tom. I. Vol. 3. p. 101. sqq.

τάμενον τὸν χορὸν... et Etymol. Magn. v. *τραγῳδία* ... *ἢ ὅτι τετράγωνον εἶχον οἱ χοροί.* De choreutarum autem numero valde ambigitur. Nam etsi minori sunt offensui quod alii [1]) undecim vel sedecim choreutas alii [2]) quatuordecim fuisse referunt, non tamen ex omni parte composita videtur lis de choreutarum duodecim numero exorta. Cf. Auctor. vitae Sophocl. et Suid. v. *Σοφοκλ.* Sed utut res se habet, ut duodecim ante Sophoclem constiterit personis, ut quinquaginta (Poll. Onomast. IV. 108), in omnibus veterum testimoniis, quae accuratiorem exhibeant chori ordinibus dispositi descriptionem, quindecim personarum mentionem fieri constat. In quem quum et ipsi inquirere conemur, nobis quidem illa disquisitio absoluta esto. Relicti vero sunt testes hi:

Poll. IV. 108. *Καὶ τραγικοῦ μὲν χοροῦ ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν, καὶ στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε· πεντεκαίδεκα γὰρ ἦσαν ὁ χορός. καὶ κατὰ τρεῖς μὲν εἰςῄεσαν, εἰ κατὰ ζυγὰ γίγνοιτο ἡ πάροδος. εἰ δὲ κατὰ στοίχους, ἀνὰ πέντε εἰςῄεσαν. ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ καθ' ἕνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον.*

Photii Lexic. v. *τρίτος ἀριστεροῦ: ἐν τοῖς τραγικοῖς χοροῖς τριῶν ὄντων στοίχων καὶ* (*πέντε*) *ζυγῶν, ὁ μὲν ἀριστερὸς στοῖχος κ. τ. λ.*

Schol. ad Arist. Equit. v. 586. Schol. ad

---

[1]) Tzetzes in prolegg. ad Lycophr.

[2]) Schol. Dionys. Thrac. in Villois. Anecd. T. II. p. 178 et Auct. vitae Aeschyli.

Arist. Av. v. 300 (298). Schol. ad Aesch. Eumenid. v. 575. Phot. v. ζυγός.

Ex his satis expeditum et facile videtur chori tragici, quomodo is dispositus fuerit judicium. Videmus enim quindecim choreutas sic instructos, ut vel ternum quinque ordines (ζυγὰ) incederent, vel quinorum tres (στοῖχοι). Sed tamen si in singulas chori personas animum advertimus, quae fuerint illae, quae nomina habuerint, quos locos tenuerint, admodum haerentes misere deserimur. Atque indoctus ille compilator Pollux, a Luciano in rhetorum praeceptis summo jure exagitatus [1]), totam rem paucis verbis sic amplectitur, nomina tantum percensens, IV. 106. *Τούτοις δ' ἂν προσήκοι . . . ἡγεμὼν χοροῦ, κορυφαῖος χοροῦ, χορολέκτης, χοροποιὸς, διδάσκαλος, ὑποδιδάσκαλος, χοροδιδάσκαλος, δεξιοστάτης, ἀριστεροστάτης, λαιοστάτης, τριτοστάτης. καὶ τὴν γυναῖκα δὲ, τριτοστάτιν Ἀριστοφάνης καλεῖ.*

Quorum quae luculenter stationem designent, alia ad ζυγὰ, alia ad στοίχους (versus) pertinere, inprimis probe tenendum est. Veluti nomen ἀριστεροστατῶν ad στοιχούς referendum est. Certissimis enim testimoniis chorum ita in orchestram prodiisse edocemur, ut, nisicubi peregre adventaret [2]) (Poll. IV. 126), sinister versus proximus esset spectatoribus. Itaque omnes illius versus choreutas ἀρισ-

---

[1]) F. Ranke, Pollux et Lucianus. Quedlinburgi 1831.

[2]) Cf. Kolster de parabasi p. 8.

τεροστ. vocatos esse consentaneum est. Qui quum simul essent quinque jugorum primi, iidem nomen invenerant *πρωτοστατῶν*. Cf. Hesych. v. *ἀριστεροστάτης. ὁ πρωτοστάτης τοῦ χοροῦ.* Schol. ad Aristid. Tom. III. p. 535—36. ed. Dindorf. *ποῦ χοροῦ τάξομεν: ἐκ μεταφορᾶς τῶν Διονυσιακῶν χορῶν εἴρηται· ὅτε γὰρ εἰςῄεσαν οἱ χοροὶ, πλαγίως* (a latere) *βαδίζοντες ἐποιοῦντο τοὺς ὕμνους καὶ εἶχον τοὺς θεατὰς ἐν ἀριστερᾷ αὐτῶν, καὶ οἱ πρῶτοι τοῦ χοροῦ ἀριστερὸν ἐπεῖχον* (Muell. conj. *στοῖχον*)[1]). Neque vero unum tantum *πρωτοστάτην* extitisse conjiciendum est ex Hesych. v. *πρωτοστάτης· ὁ πρῶτος παρὰ τὸ κέρας παρατάξεως*[2]) *τεταγμένος* i. e. Primus in dispositionis latere collocatus (quem nos vocamus Fluegelmann). Immo totum ordinem (versum) sic nominatum esse, exercitus dispositione planissime confirmatur Polluc. I. 126. *Καὶ τῶν μὲν μαχομένων τὸ μὲν ἔμπροσθεν, μέτωπον καὶ ζυγὸν καὶ πρόςωπον· καὶ τὸ μὲν ἐφεξῆς εἶναι κατὰ μῆκος,*

---

[1]) Sequens quoque scholion addidisse juvabit et nostrae disquisitioni aptum et ad Thymelae stationem paulo accuratius definiendam apprime appositum. *Τὴν πρὸ θεατροῦ: ἐν τῇ κρείττονι τάξει Λ. ἄμεινον οὖν ἡμᾶς ἐξεργάσασθαι, ὅτι ὁ χορὸς, ὅτε εἰςῄει ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, ἥ (ᾗ) ἐστι θυμέλη, ἐξ ἀριστερῶν αὐτῆς εἰςήρχετο, ἵνα εὑρεθῇ ἐκ δεξιῶν τοῦ ἄρχοντος· τοὺς οὖν καλοὺς τῶν χορευτῶν ἔταττον εἰςιόντες ἐν τοῖς τῶν ἑαυτῶν ἀριστεροῖς, ἵνα εὑρεθῶσι· πρὸς τὸν δῆμον ὁρῶντες ...... καὶ ἐκεῖ* (sc. *ἐν χορῷ*) *μὲν αὐτὸν ἀριστεροστάτην φησίν, ἥτις τάξις ἀρίστου χορευτοῦ.*

[2]) Aliter Muellerus (p. 82. extr.)

ζυγεῖν· τὸ δὲ ἐφεξῆς κατὰ βάθος, στοιχεῖν· καὶ ὁ μὲν ἐκ δεξιᾶς τοῦ πρώτου ζυγοῦ, πρωτοστάτης· καὶ πᾶν τὸ μέτωπον πρωτοστάτης. Eustath. ad Il. N. 131.

Jam nomina *δευτεροστατῶν* et *τριτοστατῶν* non minus quam *πρωτοστατῶν* ad juga pertinere et cujusvis jugi secundos et tertios designare, vel ex eo elucere videtur, quod nusquam occurrunt *τεταρτοστάται.* Nimirum *δευτεροστάται* erant k i h g f, saepius illi tamen *λαυροστατῶν* voce insigniti, medium tenentes *στοῖχον*; quorum g h i *ὑποκόλπιον* appellabatur.

Phot. v. *λαυροστάται· μέσοι τοῦ χοροῦ· οἱονεὶ γὰρ ἐν στενωπῷ εἰσιν· φαυλότεροι δὲ οὗτοι· οὕτως Κρατῖνος.* Hesych. v. *λαυροστάται: οἱ ἐν τοῖς μέσοις ζυγοὶ* (vel *ζυγοῖς*) *ὄντες ἔν τισι στενωποῖς μὴ θεωρούμενοι· οἱ δὲ χείρους μέσοι ἵστανται· οἱ δὲ ἐπιτεταγμένοι* (i. e. qui chori officia peragere jussi sunt) *πρῶτοι καὶ ἔσχατοι.* Hesych. v. *ὑποκόλπιον: τοῦ χοροῦ τῆς στάσεως χῶραι αἱ ἄτιμοι.*

Denique *τριτοστάται* vel *δεξιοστάται* erant l m n o p, appellati illi fortasse etiam *δεξιότοιχοι*, auctore Hesychio v. *δεξιότοιχοι: ἐρέται, οἱ κατὰ τὸ δεξιὸν μέρος· τίθεται δέ καὶ ἐπὶ χορευτῶν.*

Haec hactenus. Ut vero clarius sententia mea appareret et quae deinceps significavi, uno perspici possent adspectu, omnia singulorum choreutarum nomina tabula descripsi:

	ζυγ. ε.	ζυγ. δ.	ζυγ. γ.	ζυγ. β.	ζυγ. α.
	e.	d.	c.	b.	a.
στ. α.	*	*	*	*	*
	k.	i.	h.	g.	f.
στ. β.	*	*	*	*	*
	p.	o.	n.	m.	l.
στ. γ.	*	*	*	*	*

Choreut. a. πρωτοστ. ζυγ. α,
b. πρωτοστ. ζυγ. β,
c. πρωτοστ. ζυγ. γ,
d. πρωτοστ. ζυγ. δ,
e. πρωτοστ. ζυγ. ε,
} ἀριστεροστάται. (στ. α.).

Choreut. f g h i k δευτεροστάται ζυγ. α, β, γ, δ, ε. λαυροςτάται. (στ. β.).
g h i. ὑποκόλπιον.

Choreut. l m n o p. τριτοστάται, ζυγ. α, β, γ, δ, ε, δεξιοστάται, δεξιότοιχοι. (στ. γ.).

§. 2. De Coryphaeo.

Ventum est, cujus causa tota haec praemissa est disputatio, ad coryphaeum, de quo inter viros doctos magna est opinionum discrepantia. Atque Lindnerus in commentatione de Aeschyli choro conscripta [1]), coryphaeum fuisse putat choreutam

---

[1]) In Jahn. Annall. Schol. 1827. Tom. I. vol. 3. p. 101.

a, Photii potissimum loco commotus s. v. τρίτος ἀριστεροῦ· ἐν τοῖς τραγικοῖς χοροῖς τριῶν ὄντων στοίχων καὶ πέντε ζυγῶν ὁ μὲν ἀριστερὸς στοῖχος ὁ πρὸς τῷ θεάτρῳ ἦν, ὁ δὲ δεξιὸς πρὸς τῷ προσκηνίῳ. Συνέβαινεν οὖν, τὸν μέσον τοῦ ἀριστεροῦ στοίχου τὴν ἐντιμοτάτην καὶ τὴν οἷον τοῦ πρωτοστάτου χώραν ἀπέχειν (ita legit pro ἐπέχειν) καὶ στάσιν· mediumque illum vel tertium sinistri versus, pro ea, quam protulit, explicatione a coryphaeo differre quidem, sed interdum tamen illius vices gessisse arbitratur. Kolsterus [1]) ut Lindneri sententiam falsam esse bene docuit, ita et ipse coryphaeum primum versus sinistri, medium vero ἡγεμόνα fuisse contendit [2]). Muellerus [3]) denique cujusque jugi primos (a, b, c, d, e) coryphaeos nominatos esse statuit, medium ἡγεμόνα.

Mihi secus se habere videtur res. Etenim si quid video, coryphaeus sinistri versus tertius erat (c), neque unquam plures coryphaei, sed

---

[1]) De parabasi p. 17.

[2]) Servata Porsoni lectione ἐπέχειν totum illum locum sic intelligendum esse censeo: „Factum est, ut medius sinistri versus honorificentissimum et quasi πρωτοστάτου locum atque stationem teneret." Atque illud οἷον, quod quem male habere potest, ea de causa adjectum puto, quod πρωτοστάτης non vulgari vi usurpatur, sed ea, quo significat: „vere primum vel principem."

[3]) In Aeschyl. Eumenid. p. 83.

plures ἡγεμόνες (duces) exstabant quorum princeps κορυφαῖος. Namque coryphaeus, id quod ipsa vocis vis augurari jubet, summus et princeps perhibetur chori dux. Schol. ad Aristoph. Plut. v. 954. κορυφαῖος· ὁ ἐν βουλῇ πρῶτος.

Suid. v. κορυφαῖος· ὁ πρῶτος τῶν κορυφαίων. Principem nobilissimum locum tenuisse consentaneum est. Erat nobilissimus locus tertii versus sinistri. Inde fit, ut coryphaeus locum illum tenuerit.

Neque, quo loco tota Muelleri opinio nititur, is ullo modo rationem meam refellit, immo luculentissime probat. Est vero gravissimus et celeberrimus ille locus a multis viris doctis varie tentatus. Demosth. in Mid. p. 533. ἦν δέ ποθ' ἡγεμὼν τῆς φυλῆς κορυφαῖος. Etenim cum aliae causae, tum linguae usus, quominus ex hoc loco plures coryphaeos, unum tantum ducem fuisse colligamus, prohibet ut quod maxime. Quum enim in lingua graeca, si qua ad notionem principem accedat accuratior definitio, et ipsa substantivo expressa, non ut in vernacula (sicuti in verbo Haupt-Anführer), cum notione principe in unum coire possit verbum: ponitur illa, quem solum tenere consentaneum est, appositionis loco. Quae cum ita sint ἡγεμὼν τῆς φυλῆς κορυφαῖος non esse potest nisi ἡγεμὼν qui simul est κορυφαῖος. Unde efficitur, multos chori duces fuisse, coryphaeos principes non item, unumquemque coryphaeum ἡγεμόνα (ducem) fuisse, at

non quemvis ducem coryphaeum. Idque quemadmodum simplicissimum ideoque veri simillimum est, ita veterum testimoniis egregie confirmatur.

Ac primum quidem clarissima lux affulget nobis ex Himerii loco eclog. 13. §. 29. ed. Wernsdorf. *Ὁ δὲ δὴ τῶν Τελχίνων τε ἡγεμὼν καὶ κορυφαῖος καλούμενος, πληγὴν καιρίαν δεξάμενος, στένει δακρύων τὸν πόλεμον.*

Si *ἡγεμών* per se esset coryphaeus, abundaret prorsus additum *καὶ κορυφαῖος*. At significat Telchinum ducem eumque coryphaeum, quo totius rei vis et momentum augetur. Accedunt multi alii, veluti: Themist. Orat. XIII. 175. B. *ὁρᾷ γὰρ πρὸς τὸν ζῆλον τῶν βασιλέων, ὥςπερ ἐν χορῷ πρὸς τὸ ἐνδόσιμον τοῦ κορυφαίου καὶ ὁ πρωτοστάτης κ. ὁ δευτεροστάτης κ. τ. λ.* Quid enim? Si primi omnium jugorum quinque (*πρωτοστάται*) nominati essent coryphaei, Themistius quomodo dicere potuisset: *πρωτοστάτης* animum advertit ad coryphaei *ἐνδόσιμον*. Nonne planissime unum tantum *πρωτοστατῶν* coryphaei munere functum esse patet? Philostrat. mag. imagg. lib. I. c. 3. p. 8. ed. Jacobs. *θηρία γὰρ συμβάλλουσα ἀνθρώποις περιίστησι χορὸν τῷ Αἰσώπῳ, ἀπὸ τῆς ἐκείνου σκηνῆς συμπλάσασα· κορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ γέγραπται.* Ubi de totius chori duce sermonem esse vix in suspicionem adduxerit quisquam. — Denique, qui cum Photio optime consentire videtur Posidonius apud Athenaeum lib. IV. 152. 6. *ὅταν δὲ πλείονες συνδειπ-*

νῶσι, κάθηνται μὲν ἐν κύκλῳ, μέσος δ' ὁ κράτιστος, ὡς ἂν κουφαῖος χοροῦ. Quamquam hic de choro cyclico cogitare praestat, siquidem dictum est: „in orbem consident."

Neque vero sua sententia abductus Muellerus recte videtur interpretatus esse locum Aristotel. Pol. III. 2. *ἀνάγκη μὴ μίαν εἶναι τὴν τῶν πολιτῶν πάντων ἀρετὴν, ὥςπερ οὐδὲ τῶν χορευτῶν κορυφαίου καὶ παραστάτου,* ad quem p. 83 ita disserit: „Darum stellt auch Aristoteles den Coryphäen die *παραστάται* entgegen, wodurch wohl jedes hintre Glied im Verhältnifs zum vordern bezeichnet wird." Simplicissimam equidem in his verbis hanc sententiam inesse persuasum habeo: „Non eandem oportet esse omnium civium virtutem, quemadmodum ne apud choreutas quidem coryphaei et ejus, qui juxta eum stet. Nihil enim aliud significare potest *παραστάτης*; et desumptum ab exercitus dispositione praecipue eum designat, qui adstans adjuvat. Cf. Aesch. Pers. v. 918.

ποῦ δέ σοι παραστάται;

Polyb. XVIII. 12. 5; 13, 8. ed. Schweigh. all. Suid. v. *παραστάται· οἱ ὁμόζυγοι τῶν λόχων παραστάται [καὶ ἐπιστάται] διὰ τὸ παρ' ἀλλήλοις ἵστασθαι· καὶ παραςτατεῖν τὸ συμμαχεῖν.*'

Polluc. Onomast. I. 126. *ὁ δὲ παρ' ἕκαστον ταττόμενος παραστάτης· ὁ δὲ ὑπ' αὐτοῦ ἐξόπισθεν, ἐπιστάτης.* Etymol. Magn. v. *στρατός.*

Id quomodo Muellerum latere potuerit, eo ma-

gis offendit, quoniam ipse chorum comparari militum ad pugnam paratorum catervae eoque pertinere fere omnia, quae in usu fuerint vocabula scitissime docuit. Quamquam cavendum, ne quis chori prorsus eandem quam exercitus dispositionem fuisse credat. Etenim aliud erat militum, aliud choreutarum consilium; aliis locis in choro optimi collocari debebant, aliis in exercitu [1]). Quodsi hucusque recte disputavi, coryphaeum vel ducem coryphaeum (ἡγεμόνα κορυφαῖον) unum fuisse apparet c, duces vero praeter coryphaeum plures, vel quod equidem malim, duos extitisse credibile est, cujusque hemichorii unum.

§. 3.

ἡγεμὼν χοροῦ· χοροστάτης· χορολέκτης· χοροποιός· χορηγός[2]).

Restat ut de ceteris chori principibus exponamus. Atque coryphaeum non semel ut summum ducem in universum ἡγεμόνα χοροῦ esse vocatum, maxime probabile est. Sicuti id factum esse vide-

---

[1]) Quod ne temere hariolatus esse videar, provocandum ad Schol. Aristid. p. 536. Tom. III. ed. Dindorf, ubi copiosius de illa re agitur; quocum conferas Aristoph. Av. v. 352 ed. Dind. „ἀλλὰ μὴ μέλλωμεν ἤδη τῶδε τίλλειν καὶ δάκνειν
ποῦ σθ' ὁ ταξίαρχος; ἐπαγέτω τὸ δεξιὸν κέρας.

[2]) De chorodidascalo cf. Boettiger, quid sit docere fabulam.

tur apud **Demosth.** c. **Midiam** p. 533. d. *ἰστὲ δήπου τοῦθ', ὅτι, τὸν ἡγεμόνα ἂν ἀφέληταί τις, οἴχεται ὁ λοιπὸς χορός.* „Scitis enim, duce sumpto reliquum chorum discedere." Vix enim de alio quoquam cogitari potest, proxime praecedentibus verbis *ἦν δέ ποθ' ἡγεμὼν τῆν φυλῆς κορυφαῖος.* Idem dicitur de chorostata ab **Himerio**, cui eundem Demosthenis locum obversatum esse arbitror. Est vero **Orat.** IX. §. 3. ed. Wernsdorf[1]), *τῆς γὰρ κεφαλῆς ὀδυνωμένης ἐξαίφνης πάντα τὰ ἀῤῥωστήματα συμβαίνειν ἔφη καὶ Δημοσθένης. Οὕτω καί κυβερνήτου νοσοῦντος ὅλον συμπάσχει τὸ σκάφος, καὶ ὁ χορὸς ἀβάκχευτος μένει, τοῦ χοροστάτου κειμένου.* „Namque dolente capite, statim omnes aegrotationes accidere possunt, ut ait Demosthenes. Gubernator si decumbit, tota una affligitur navis et **jacente chorostata** chorus tripudiare desinit".

Hinc *χοροστάτην* ab *ἡγεμών* et **coryphaeo non differre** elucet, affirmante insuper **Philone** de meretr. mercede non accipiend. in sacr., ubi de voluptate ornatu meretricio incedente dicitur: *συνομαρτοῦσι δ' αὐτῇ τῶν συνηθεστάτων πα-*

---

[1]) Utrumque ex Iphicratis dicto fluxisse arbitror apud **Polyaen.** Strateg. III. 9. 22. *Ἰφικράτης τὴν σύνταξιν τῶν στρατοπέδων εἴκαζε τῷ σώματι, θώρακα ἐκάλει τὴν φάλαγγα· χεῖρας τοὺς ψιλούς· πόδας τὸν ἵππον· κεφαλὴν τὸν στρατηγόν· τὰ μὲν δὴ ἄλλα ὅταν ἐπιλείπῃ χωλὸν καὶ πηρὸν τὸ στρατόπεδον· ὅταν δὲ ὁ στρατηγός ἀπόληται, τὸ πᾶν ἄχρηστον οἴχεται.*

νουργία, ἀδικία, ἀκολασία, ὧν ἐν μέσῳ καθάπερ ἡγεμὼν χοροστατοῦσά φησι πρὸς τὸν νοῦν κ.τ.λ. Erat igitur *χοροστατεῖν* ducis munus, et *χοροστάτης* idem qui *ἡγεμὼν χοροῦ*, idemque qui coryphaeus [1]).

Quid vero de chorolecta fiet? Quam rem quum justo brevius absolveret Kolsterus [2]), ideo non absolutam reliquit. Vehementer enim vereor, ne parum considerata sit, quam ille sibi finxit, conclusio. Disserit autem ita: „Suid. *χοροδέκτης, ὁ τοῦ χοροῦ προεξάρχων* (i. e. qui in choro primus incipit). Aelian. Hist. Anim. XI. 1. p. 230. *ὥσπερ ἀπὸ χορολέκτου τινὸς τὸ ἐνδόσιμον λαβών.* (Adde Hist. Anim. XV. 5. *εἰ δὲ ἐνδοτέρω, δίδωσιν ὥςπερ οὖν στρατηγὸς τὸ σύνθημα καὶ χορολέκτης τὸ ἐνδόσιμον*): est autem *ἐνδόσιμον τὸ πρὸ τῆς ᾠδῆς κιθάρισμα.* Hesych. Non est igitur *χορολέκτης* ex choreutarum numero, sed ex tibicinum potius, qui adsunt choro ejusque cantum moderantur." Si enim recte judicasset, non minus ex choreutarum numero exterminandi essent et coryphaeus et chorostates, quos et ipsos *ἐνδόσιμον* exhibuisse traditum invenimus.

Cf. Themist. l. l. (XIII.) *ὁρᾷ γὰρ πρὸς τὸν ζῆλον τῶν βασιλέων ὥσπερ ἐν χορῷ πρὸς τὸ ἐνδόσιμον*

---

[1]) Cf. Zonar. lexic. *χοροστάτης· ὁ ἄρχων τοῦ χοροῦ.* Hesych. *χοροστατῶν· χοροῦ κατάρχων.*

[2]) De parabasi p. 18.

σιμον τοῦ κορυφαίου καὶ ὁ πρωτοστάτης κ. τ. λ. Aristid. Orat. Tom. II. p. 44. 45. ed. Dindf. *οὐ δουλεύει ταῖς τῶν χορευτῶν ἐπιθυμίαις ὁ κορυφαῖος ἀλλ' εἴ τί που καὶ χαρίζεται, τὸ μηδὲν ἀπᾷσαι συμπαρατηρῶν τῷ χαρίζεσθαι· ἀλλ' οὐχ ὑποβάλλουσί γε αὐτῷ τὰ ἐνδόσιμα οἱ χορευταὶ, οὐδ' ὅπως ἂν ἐκεῖνοι κελεύωσιν, οὕτως προσάγει τὸ μέλος καὶ τὸν ῥυθμόν* seqq. „At non interrumpunt *ἐνδόσιμα*, neque ipse pro eorum voluntate cantum atque rhythmum moderatur. Dion. Chrysost. Orat. LVI. p. 365. *οὐδέ γε τῶν χορῶν τοὺς κορυφαίους τυγχάνω πυνθανομένους οἵτινες καλοῦνται, τοὺς σημαίνοντας τοῖς ᾄδουσι καὶ μέλος ἐνδιδόντας* ... et passim.

De chorostate cf. Julian. epist. 91. *φέρε σοι, καθάπερ .... πρὸς τὴν χορείαν ἄνετοι φέρονται, οὕτω καὶ ἡμεῖς ὑπὸ τῷ σῷ πλήκτρῳ τὸ εἰκὸς ἀντηχήσομεν, ὥςπερ οἱ τῷ χοροστάτῃ πρὸς τὸ ἀνάκλημα τοῦ ῥυθμοῦ συνομαρτοῦντες.* Est enim *ἀνάκλημα τοῦ ῥυθμοῦ* idem, quod *ἐνδόσιμον.*

Haec rem aliter se habere facile probabunt viro docto. Etenim latius patere intelligimus endosimi notionem, quippe quod sit vel signum, quo quis initium alicujus rei faciendum esse demonstret, vel exordium sive orationis, sive nervorum, sive vocum cantus, vel omnino alicujus rei incitamentum. Suid. v. *ἐνδόσιμον· κινήσεως καὶ ἀρχῆς αἴτιον.* Uniuscujusque potestatis permulta exempla in promptu sunt.

Liceat mihi pauca tantum in medium proferre:

Philostr. min. imagg. p. 131. ed. Jacobs. Ὁδὶ δὲ (Ἰάσων) τὸ ἐνδόσιμον τοῖς ἐρέταις ᾄδει· remigibus endosimon canebat. Cf. p. 129. Lucian. de saltat. c. 10. καὶ τὸ πρῶτον σύνθημα Λακεδαιμονίοις πρὸς τὴν μάχην ὁ αὐλὸς ἐνδίδωσι. „Et primum quidem Lacedaemoniis tibia ad pugnandum signum tollit." Cf. Maxim. Tyr. dissert. VII. 7. p. 117. Plutarch. Sympos. I. VII. Quaest. 5, 1. ἐβούλετο μὲν ὁ Λαμπρίας εἰπεῖν... ὀῤῥωδοῦντι δ' ὅμως, μὴ λίαν ἀηδὴς γένηται καὶ λυπηρὸς, αὐτὸς ὁ Καλλίστρατος ὥςπερ τὸ ἐνδόσιμον παρέσχε, τοιαῦτά τινα διαλεχθείς. Denique Polluc. On. I. 210. Τὸ ἐνδόσιμον εἰς τὸν δρόμον κροῦσαι τῷ ποδὶ τὴν γαστέρα [1]).

Quae cum ita sint, tantum abest, ut chorolectam e choreutarum numero esse negemus ut eum omnino a coryphaeo diversum non esse clarissime cognoscamus. Plures enim ἐνδόσιμον dedisse vix credibile est, immo a rei natura prorsus abhorret.

---

[1]) Paulo alia significatione ἐνδόσιμον in saltatione praedita erat. In qua signum ita appellabatur ad numeros saltationis rite inculcandos pedis supplosione datum. Idque primis temporibus ligneis soleis (κρουπέζια) effectum est. Cf. Poll. VII. 87, dein artificiosiori quodam instrumento ferreo (ὑπόδημα σιδηροῦν). Lucian. de saltat. c. 83. Liban. adv. Aristid. pro saltatoribus. Tom. III. p. 385. 16. ed. Reisk. Cf. Boettiger. Quid sit docere fabul. p. 7. Tota haec res ad pantomimos potissimum pertinet.

Sic quatuor jam nomina in unam personam relata sunt coryphaei, chori ducis (*ἡγεμὼν χ.*), chorolectae, chorostatae.

At chorolectam non modo *ἐνδόσιμον* dedisse sed etiam choreutarum ordines instituisse accipimus a Suida v. *χορολέκτης· ὥσπερ παρά τινος χορολέκτου λαβεῖν τὴν στάσιν*, sicuti ab aliquo chorolecta stationem accipere. v. *ἀσκωλιάζειν* ... *τάξει στὰς, ὥσπερ οὖν παρά τινος λαβὼν χορολέκτου τὴν στάσιν.*

Easdem vices *χοροποιός* explevisse traditur apud Xenoph. Agesil. c. 2. §. 17. ...*ὅπου ἐτάχθη ὑπὸ τοῦ χοροποιοῦ*... Aristid. Orat. XLVI. p. 158. *Καί μοι πάντ' ἐκεῖνα ἤδη λέγε, τὸν ναυπηγὸν ὡς εἰς τάξιν τίθησι τὰ ξυλὰ, τὸν τέκτονα ὡς εἰς τάξιν τοὺς λίθους, τὸν χοροποιὸν, τὸν ὀντιναδήποτε* scilicet, quomodo choreutas ordinet.

Non est igitur, cur *χοροποιόν* a chorolecta aliisque principis nominibus differre credamus.

Postremo choragum quoque antiquis temporibus eundem fuisse, et re vera chorum duxisse chorique ordines instruxisse auctor nobis est Demetrius apud Athen. XIV. 633. 6. *ἐκάλουν δὲ καὶ χορηγοὺς, οὐχ ὥσπερ νῦν τοὺς μισθωμένους τοὺς χοροὺς, ἀλλὰ τοὺς καθηγουμένους τοῦ χοροῦ, καθάπερ αὐτὸ τοὔνομα σημαίνει.* Plutarch. Apophthegm. Lacon. 219. E. *Δαμωνίδας ταχθεὶς ἔσχατος τοῦ*

χοροῦ ὑπὸ τοῦ τὸν χορὸν ἱστῶντος. Εὖγε, εἶπεν, ὦ χοραγὲ κ. τ. λ. [1]).

Tali modo omnia illa nomina unius personae varia munera designare apparet. **Unus erat totius chori princeps (coryphaeus) qui ordinibus institutis, choreutas ducebat cantuque praeibat.**

At num multa hac quaestione lucrati sumus? Cognovimus certe, Graecos ut in tota tragoedia ita in choricis quoque rebus summam simplicitatem observasse, eosque, quamvis omnia certissimis legibus adstrinxerint, a nimio, quod nonnulli iis insimulare voluerunt, artis studio, prorsus alienos Naturam divinam semper secutos esse magistram [2]).

---

[1]) Hesych. χορηγός· διδάσκαλος· τοῦ χοροῦ ἐξάρχων.

[2]) Vel me tacente sponte intelligitur, plurima illorum nomina non in tragico tantum choro usuvenisse sed ad cyclios quoque choros referri posse.

Caput II.

De hyposceniis.

In Poll. Onomast. IV. c. 19. §. 125. τὸ δὲ ὑποσκήνιον κίοσι, καὶ ἀγαλματίοις ἐκεκόσμητο, πρὸς τὸ θέατρον τετραμμένοις, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον. „Hyposcenium autem columnis et statuis ornatum erat, theatro, quod pulpito subjacet, adversis."

Sic Groddeckius, cujus docta exstat de hoc loco disputatio in F. A. Wolfii Analectis litterar. Tom. II. p. 125. Et recte ille quidem non probabilem esse docuit Buttmanni interpretationem [1]): „Die Unterbühne, welche unter der Zocke der Bühne lag, war gegen das Theater hin, mit Säulen und Statuen geschmückt." Egregie illorum [2]) errorem

---

[1]) In Appendice ad Vitruv. Rodii. T. 1. p. 277.

[2]) Stieglitz Encyclopädie d. bürgerl. Baukunst. T. IV. p. 562. Bulengeri Descr. Theatri.

notavit, qui hyposcenium anteriorem quendam logei sive pulpiti parietem in orchestram descendentem esse sibi persuaserant. Planissime falsos esse demonstravit, qui [1]) hyposcenium in orchestra quaerentes de suggestu quodam cogitarunt, in quo musici artifices artem exercerent. At ne ipse quidem verum assecutus videtur esse, quum locum scenae proprie sic dictae (i. e. extremo proscenii parieti) ab anteriore parte proximum partim a fronte partim ab utroque latere (unde *ὑποσκήνια* numero multitudinis) hyposcenii nomine appellatum fuisse" conjiceret [2]). Nempe nimis artificiosa explicandi ratione usus, et altius quam debebat auxilio petito a recta via, si quid video, aberravit. Mea quidem sententia hyposcenia nihil aliud significant, quam quae sunt *ὑπὸ τὴν σκηνήν*. Quibus verbis explicandis duo Pollucis exempla optime consulunt: IV. 128. *δείκνυσι δὲ καὶ τὰ ὑπὸ τὴν σκηνὴν ἐν ταῖς οἰκίαις ἀπόῤῥητα πραχθέντα.* IV. 130. *τὸ δὲ βροντεῖον ὑπὸ τὴν σκηνὴν ὄπισθεν ἄσκοι ψήφων ἔμπλεοι διωκόμενοι (διελ-*

---

[1]) Rambach ad Potter. Archaeol. Tom. I. p. 94. Not. Schneider et Reichenbach in Lexic. Graec. s. v. *ὑποσκ.*

[2]) Itaque Graecorum theatrum fere sic instructum esse putat: Theatro i. e. spectatorum sedilibus adversa est scena, paries extremus; ante quam *ὑποσκήνια*. Haec excipit *προσκήνιον* (quidni tum *προϋποσκήνιον* nominatum est) cum logeo, cui subjacet orchestra, spectatoribus proxima.

κόμενοι sive διωθούμενοι) φέρονται κατὰ χαλκωμάτων. Luculenter enim τὰ ὑπὸ τὴν σκηνήν ea esse apparet, quae post scenam sint, ita ut conspici nequeant. Id quod in altero cognoscimus ex addito ὄπισθεν, in altero ex verbis ἐν ταῖς οἰκίαις ἀπόῤῥητα [1]).

Quamobrem hyposcenia non cum Groddeckio locum scenae ab anteriore parte sed a posteriore latere proximum esse crediderim.

Quacum mea sententia simplicissima ratione nullaque machina adhibita conspirare videtur, qui multas turbas excitavit, Athenaei locus XIV. 631. f. ὅθεν καὶ Ἀσωπόδωρος ὁ Φλιάσιος κροταλιζομένου πότε τινος τῶν αὐλητῶν διατρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ. Τί τοῦτ'; (εἶπεν) δῆλον ὅτι μέγα κακὸν γέγονεν· ὡς οὐκ ἂν ἄλλως ἐν τοῖς πολλοῖς εὐδοκιμήσαντος· οἶδα δέ τινας τοῦθ' ἱστορήσαντας ὡς Ἀντιγενίδου εἰπόντος Nonne inde et apta et expedita haec sententia redundat?: „Quamobrem Asopodorus Phliasius tibicine aliquo magno populi plausu laudato ipse commoratus ἔτι in hyposcenio (in postscenio i. e. ipse nondum in scenam progressus): Quid hoc? ait, ingens sine dubio peccatum commis-

---

1) Conferas etiam Plutarch. Arat. c. 15. Πρότερον γὰρ ἡμᾶς ὑπερεώρα ταῖς ἐλπίσιν ἔξω βλέπων καὶ τὸν Αἰγύπτιον ἐθαύμαζε πλοῦτον, ἐλέφαντας καὶ στόλους καὶ αὐλὰς ἀκούων· νυνὶ δ' ὑπὸ σκηνὴν ἑωρακὼς πάντα τὰ ἐκεῖ πράγματα τραγῳδίαν ὄντα καὶ σκηνογραφίαν, ὅλος ἡμῖν προσκεχώρηκεν.

sum est, alioquin a populo non probaretur." Sic nullo in loco videtur difficultas inesse. Sermo est enim de tibicinum commissione. Asopodorus, quem non minus quam Antigenidem inter tibicines illustrem fuisse accipiendum est et ipse progressurus versatur post scenam vel omnino eo loco, ex quo prodeunt certaturi. Non audit igitur tibicinis cantum, excitatus vero magna acclamatione, causam quaerens ipse magnopere eum titubasse salse conjicit. — Sin vero cum Groddeckio Asopodorum inter auditores in quamvis remoto loco constituisse statuimus, audivisset profecto tibicinem, sensisset, qua re lapsus esset neque erat cur interrogaret: „Quid hoc"? etc. — At se approbationis causam ignorare simulavit, Groddeckii sententia. Id profecto nimis artificiose excogitatum esse neminem fugit.

Neque vero omnino, etiamsi Groddeckii veram hujus loci interpretationem esse concedimus, eundem quidquam pro sua hyposcenii definitione effecisse video. Dicit enim, sicuti jam antea memoravimus, hyposcenium proximum scenae ab anteriore parte fuisse locum. Num ibi spectatores in orbe [1]) circumstetisse existimandum est? Id quidem nullo pacto.

Itaque aut vehementer fallor, aut *ὑποσκήνια* post scenam fuisse statuendum est.

Nec tamen prorsus absoluta est quaestio, sed

---

[1]) Cf. Groddeck. p. 131.

difficultas sublata alteram creat, renascunturque Hydrae nova capita. Verba enim Pollucis haec sunt: *τὸ δὲ ὑποσκήνιον κίοσι καὶ ἀγαλματίοις ἐκεκόσμητο πρὸς τὸ θέατρον τετραμμένοις, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον.* Ambigimus enim, quid fiat de columnis illis et statuis. Namque *ὑποσκήνια,* loca illa quae per *ἐκκυκλήματα* tantum idque rarissime spectatorum oculis subjiciebantur, ita ornata fuisse haud veri simile est. Nisi igitur Pollucem, ut persaepe [1]) errasse malumus et rem peculiarem toti generi obtrudisse existimaverimus, ad aliam nobis confugiendum erit medelam, quum praesertim ne sic quidem verba *ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον,* relata illa cum Groddeckio ad theatrum, satis recte se habere videantur. Namque si cum *θέατρον* conjungimus et languida sunt, quippe quum non intelligatur, Pollux cur theatri locum definiverit de hyposcenio expositurus, et falsa, quoniam prima quidem theatri sedilia, at non totum theatrum sub logeo jacere dici potest.

Quae quum ita sint, mutatione locum illum sanandum esse persuasum habeo.

Atque equidem pro *ὑποσκήνιον* legendum esse arbitror *προσκήνιον* verborumque sententiam ita constituendam puto: *Τὸ δὲ προσκήνιον κίοσι καὶ ἀγαλματίοις ἐκεκόσμητο πρὸς τὸ θέατρον τετραμμένοις, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον.* „Proscenium vero

---

[1]) Cf. Herm. in cens. Aeschyl. Eumenid. a Muellero edit. in „Wiener Jahrb. 1834. 1."

columnis et statuis, theatro adversis ornatum erat, pulpito subjacens [1]). Quae quidem conjunctura neque nimis audax videtur esse et internis non minus quam externis argumentis commendatur.

Et primum quidem ad palaeographicam rationem, a librariis non semel praepositionem *ὑπὸ* cum *πρὸ* commutatam esse in confesso est. Accedit non spernendum illud argumentum, quod vulgatam lectionen servantes Pollucem contra ordinem initio capitis §. 123 indicatum peccasse videmus. Quum enim ita percensuisset nomina: *σκηνὴ*, *ὀρχήστρα*, *λογεῖον*, *προσκήνιον*, *παρασκήνια*, *ὑποσκήνια*· cum scena tractata, statim, ceteris omnibus omissis, ad *ὑποσκήνια* transiisse est sane quod miremur. Alias enim modicus ordinem semel propositum tenet, quemadmodum ex ipsius nostri capitis §. 127. optime colligere possumus, ubi magno machinarum numero allato, de iisdem non turbato ordine deinceps exponit. —

Denique ne id quidem negligendum videtur, quod scriptor in rebus gravibus incertissimus, in rebus minutis accuratissimus primum de hyposceniis loquitur, dein de hyposcenio dicere pergit.

Sed tamen omnia haec nihil valerent, nisi idonea totius loci sententia egregie firmarentur. Mi-

---

[1]) Sic enim mea quidem sententia conjungenda sunt verba.

rum enim quantum omnis illa definitio ad proscenium apposita est. Proscenium est spatium ante scenam, in quo histriones e scena progressi versabantur. A quo bene discernendum[1]) *λογεῖον* sive *ὀκρίβας*, (pulpitum editior proscenii pars[2]), in quod histriones e proscenio adscendebant sermones recitaturi[3]). Itaque rectissime proscenium dicitur *ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον*. Neque minus proscenium statuis ornatum fuisse credibile videtur. Quod enim Groddeckius opposuit, neque pulpitum (*λογεῖον*) neque proscenium columnas ferre potuisse quippe in cunctis theatris ex ligno constructa, vereor ut ex omni parte probari possint. Namque ut illud in logeum cadere libenter largiar cf. Timaei Lexic. v. *ὀκρίβας, πῆγμα τὸ ἐν τῷ θεάτρῳ τιθέμενον, ἐφ' οὗ ἵστανται οἱ τὰ δημόσια λέγοντες· θυμέλη γὰρ οὐδέπω ἦν. Λέγει οὖν τις. Λόγιόν ἐστι πῆξις ἐσ-*

---

[1]) Vitruv. lib. V. 6. §. 1. „Ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, quae disjungat proscenii pulpitum et orchestrae regionem."

[2]) Platon. Sympos. p. 324. B. *ἐπιλήσμων μέντ' ἂν εἴην, ὦ Ἀγάθων, εἰ ἰδὼν τὴν σὴν ἀνδρίαν καὶ μεγαλοφροσύνην ἀναβαίνοντος ἐπὶ τὸν ὀκρίβαντα μετὰ τῶν ὑποκριτῶν — νῦν οἰηθείην σε θορυβηθήσεσθαι ἕνεκα ἡμῶν ὀλίγων ἀνθρώπων.* ibique Schol. *ὀκρίβαντα: τὸ λογεῖον, ἐφ' οὗ οἱ τραγῳδοὶ ἠγωνίζοντο.* Hesych. Phot. s. v. *ὀκρίβας.*

[3]) Bene hanc rem illustravit Groddeckius p. 109.

τορεσμένη ξύλων, εἶτα ἑξῆς ὀκρίβας ὀνομάζεται. Hor. de arte poetica 279:

„Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylos et modicis instravit pulpita tignis:"

nusquam tamen de proscenio illud traditum invenimus. Immo luculentissime sententiae meae patrocinantur Houelii verba in Voyage pittoresque T. II. p. 36... Ce qui achève de persuader que cette magnificence a existé, c'est la quantité de tronçons de colonnes de marbre qu'on a trouvé en faisant cette fouillect même de marbres étrangers... On voit encore des tronçons de deux colonnes et de quelques autres dans l'exterieur du mur de l'avant-scène. Tous ces morceaux étaient de différentes longueurs et de differens diamètres, tels q'uils pouvaient convenir à l'avant-scène ou à la galerie." p. 37. On trouve aussi des bases de marbre blanc, sept chapitaux d'ordre Chorintien de trois différentes mesures; des morceaux de colonnes cannelées, des frises, des architraves, des chapitaux de marbre blanc et des debris de statues."

Audessus de ce plancher factice (du pulpitum) s'elève le socle qui portait les colonnes, dont cette

---

[1]) Miro modo Groddeckius haec ipsa verba pro sua sententia attulit; putat enim falso omnibus his locis a Houelio usurpatum esse l'avant-scène pro hyposcenio.

avant, scène était decorée. p. 38. J'ai représenté dans cette estampe cette avant-scène ou ce Proscenium, tel que je l'ai trouvé: il était en partie détruit: on y voyait encore des bases et des tronçons de colonnes de granite tous très-beaux.

Caput III.

De Graecorum scena ejusque mutatione.

Operae pretium videtur de Graecorum scena eiusque mutatione quae a veteribus scriptoribus passim exposita sunt colligere, collectaque breviter enarrare. Nam Genellius, novissimus illarum rerum scriptor [1]), etsi nonnulla rectissime illustravit, omniaque ingeniose tractavit, maximam tamen partem neglectis Graecorum testimoniis, nova miscuit antiquis, genioque nimis placato, permira in universum excogitavit. Nihilominus tam speciosa sunt multa, quae sibi invenisse videtur, tanta arte composita, tanta probabilitate commendata, tanta certitudine prolata, ut aegre tantum a ficta ejus doctrina avellaris neque semel Graecos quam Genellium erraturos

---

[1]) Genelli, Theater zu Athen. Berlin u. Leipzig 1818. C. IV. Scenerie.

fuisse malis. Quo quantum detrimenti litterae capere possint, sponte patet, summoque opere elaborandum, ne talibus laqueis irretiti omnem antiquitatis memoriam obscuremus, exstinguamus, perdamus. Quamobrem ne ipse quidem pro tenui virium modo quamvis pauca eaque elementa tantum ex Polluce et Vitruvio, solis fere in hac re testibus, desumpta componere dubitavi, ampliorem hujus doctrinae explicationem viris et doctis et ingeniosis relicturus.

§. 1. De scena.

Jam primum de scena proprie sic nominata dicamus, id est, de extremo pariete, e regione spectatorum sito. Cujus profecto antiquissimis certe temporibus simplicissima erat ratio. Non enim ut apud nos sexcenties fere mutabatur, neque fabula tum ad rupem quendam sterilem, tum in horto, tum ad maris littus, in regia domo, in vili tugurio, mox terra mox mari agebatur sed una fere semper usque ad finem eadem manebat scena, eaque, ne spectatores unquam titubarent, certa lex constituta erat, ut tragoediae, comoediae, dramati satyrico peculiare esset scenarum genus [1]). Cf. Vitruv. V. 8. „Ge-

---

[1]) Quo referenda sunt verba *σκηνή τραγική, κωμική* apud Plutarch. vit. Demetr. I. 900. D. ed. Paris. 1623. *Λοιδορῶν εἰς τὸν ἔρωτα τῆς Λαμείας ἔλεγε νῦν πρῶτον ἑωρακέναι πόρνην προερχομένην ἐκ τραγικῆς σκηνῆς.* ibid. p. 901. E. *τὴν δὲ διήγησιν ὥσπερ ἐκ κωμικῆς σκηνῆς, πάλιν εἰς τραγικὴν μετάγουσιν*

nera autem scenarum sunt tria, unum quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium satyricum. Horum autem ornatus sunt inter se dissimiles disparique ratione." Etenim tragicae scenae, id quod rei gravitati conveniebat, propriae erant regiae, templa columnis, fastigiis, signis, „aliisque regalibus rebus" condecorata [1]). In comoedia villae, aedificia privata menianis instructa, alia ejusmodi repraesentari solebant. Satyrica scena montibus, speluncis, reliquisque rebus agrestibus in topiarii operis speciem deformatis ornabatur.

Atque in quoque scenarum genere tres erant portae, certo quaeque usui destinata. Media princeps, ideoque Etymolog. Magno et Suida auctoribus ipsa

---

αἱ τύχαι. Alia significatione σκηνὴ τραγική occurrit in Timaei lexic. Platon. v. τραγικὴ σκηνή· πῆγμα μετέωρον ἐφ᾽ οὗ ἐν θεάτρῳ τινὲς παριόντες ἔλεγον. Cf. Etymol. Magn. p. 763, 27. Phot. Suid.... ἐφ᾽ οὗ ἐν θεῶν σκευαῖς τινες παρόντες ἔλεγον. Ibi enim pro τραγικὴ μηχανή (cf. Platon. Clitoph. p. 253. D.) dictum esse apparet. Neque id mirum, μηχανή enim in σκηνῇ. Cf. Ruhnken ad Tim. Lex.

1) Rarissime tantum poetas ab hac norma deflexisse videmus, neque unquam nisi fabulae indole necessario id flagitante. Sicuti Aeschylos Promethei poenam expositurus non poterat nisi ad Caucasum eum vinctum producere. Neque minus Philoctetam ante novem annos in insula expositum ab Odysseo et Neoptolemo in spelunca aliqua inventum esse consentaneum est. Maxime vero a tragoediarum natura abhorrere videtur vilis illa casa in Euripidis Electra.

ipsa saepenumero scena vocata. Poll. Onomast. IV. 124. τριῶν δὲ τῶν κατὰ τὴν σκηνὴν θυρῶν ἡ μέσα μὲν βασίλειον (scil. in tragoedia), ἢ σπήλαιον (in dramate satyrico) ἢ οἶκος ἔνδοξος (in comoedia) ἢ πᾶν τὸ πρωταγωνιστοῦν τοῦ δράματος. ἡ δὲ δεξιὰ τοῦ δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον, ἡ δὲ ἀριστερὰ ἢ τὸ εὐτελέστατον ἔχει πρόςωπον, ἢ ἱερὸν ἐξηρωμένον, ἢ ἀοικός ἐστιν. §. 125 ἐν δὲ τραγωδίᾳ[1]) ἡ μὲν δεξιὰ θύρα ξενών (vel ξένων) ἐστι, εἰρκτὴ δὲ ἡ λαία. τὸ δὲ κλίσιον ἐν κωμωδίᾳ παράκειται παρὰ τὴν οἰκίαν, παραπετάςματι δηλούμενον· καί ἐστι μὲν σταθμὸς ὑποζυγίων κ. τ. λ. Denique in portis illis post scenam καθ' ἑκάστ. θύρ.) machinae versabantur ἐκκυκλήματα[2]), quibus quae intus erant, patefiebant. Quod quum ita efficeretur, ut scenae frontes in diversas partes discederent, recte illa vocatur ductilis. cf. Serv. ad Virg. Georg. III. 24.

§. 2. De periactis.

Praeter hanc, quam modo memoravimus scenam in utroque latere positae erant περίακτοι

---

[1]) Verba ἐν τῇ τραγωδίᾳ in suspicionem adduci non debebant a Buttmanno in Appendice Vitruv. Rhodiani p. 278. Tom. I. Egregie enim concinunt cum Vitruv. v. 7. Ipsae autem scenae suas habeant rationes explicatas, ita uti mediae valvae ornatus habeant aulae regiae, dextra ac sinistra hospitalia.

[2]) Cf. Herm. in Cens. Aesch. Eumenid. ed. Muell. in Annall. Vienn. 1834. Tom. I. p. 128, qui egregrie hanc rem illustravit.

(versiles sc. scenae [1]), trigonae illae, quibus principis, ubi res agebatur, scenae regio depicta erat, et in dextra quidem quae propius aberat, in sinistra quae longius remota, ita quidem, ut templum vel regia utrum sint Delphis vel Athenis vel Thebis facili negotio intelligi possit.

Poll. Onomast. IV. 126. *Παῤ ἑκατέρα δὲ τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην, ἄλλαι δύο εἶεν ἂν μία ἑκατέρωθεν* (melius Buttmannus *δύο εἶεν ἂν μηχαναὶ μία ἑκατέρωθεν*), *πρὸς ἃς αἱ περίακτοι συμπεπήγασιν, ἡ μὲν δεξιὰ τὰ ἔξω πόλεως δηλοῦσα, ἡ δ' ἀριστερὰ τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος.* Vitruv. V. 7. Secundum autem ea spatia ad ornatus comparata (quae loca Graeci *περιάκτους* dicunt, ab eo quod machinae sunt in iis locis versatiles trigonas habentes, in singula tres species ornationis, quae quum aut fabularum mutationes sunt futurae, seu deorum adventus cum tonitribus repentinis, vertantur mutentque speciem ornationis in frontes." — Easdemque Houelius in Voyage pittoresque des Isles de Sicile etc. Tom. II. p. 38. sqq. in Theatro Tauromenitano invenisse se testatur: Le mur du socle, destiné à porter le plancher du pulpitum est de construction très-posterieure à la fondation de ce theatre, je trouve de chaque coté des entrées laterales, des enfoncemens triangulai-

[1]) Sic rectissime, ut videtur, Buttmannus in Append. Vitruv. Rhodiani.

res, dans toute la hauteur du mur, dont l'usage m'est absolument inconnu. Je n'en ai vu d'exemple nulle part: ainsi, je crois, qu'il tenait à quelque coutume singulière et particulière à ce theatre; je pense, qu'il pouvait servir aux decorations, qu'on plaçait par dessus l'architecture.

Jam quoniam περίακτοι trigonae esse perhibentur, eas prima rei scenicae aetate ita comparatas fuisse verisimile est, ut tria latera scenis comicae, tragicae, satyricae convenirent. Quum vero fabulae locus et regio interdum mutari coepta essent, illi potissimum usui eas inserviisse probabile est. Facillime enim picturis vel texturis injectis vertendo nunc mare, nunc montes, nunc fluvii repraesentari poterant, mox fulgurum species, mox ipsi Dei marini apparere, quaecunque denique machina (cf. Boettiger. de Deo ex machina) ferre nequibat. Cf. Poll. IV. §. 131. καταβλήματα δὲ ὑφάσματα, ἢ πίνακες ἦσαν, ἔχοντες γραφὰς τῇ χρείᾳ τῶν δραμάτων προσφόρους· κατεβάλλετο δὲ ἐπὶ τὰς περιάκτους, ὄρος δεικνύντα, ἢ θάλατταν, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. IV. §. 130. κεραυνοσκοπεῖον δὲ καὶ βροντεῖον, τὸ μέν ἐστι περίακτος ὑψηλή. Cf. Vitruv. l. l. Poll. IV. 126. καὶ θεούς τε θαλαττίους ἐπάγει, καὶ πάνθ' ὅσα ἐπαχθέστερα ὄντα ἡ μηχανὴ φέρειν ἀδυνατεῖ.

Et tali modo versurae illae instituebantur, ut periactorum dextra versa locus mutaretur (i. e. τὰ τῆς πόλεως cf. Poll. IV. 126.) utraque vero re-

gio (i. e. *τὰ ἔξω τ. π.*) Hanc enim solam veram sententiam inesse optime judicavit Buttmannus in Pollucis verbis. *εἰ δὲ ἐπιστρέφοιεν αἱ περίακτοι, ἡ δεξιὰ μὲν ἀμείβει τόπον· ἀμφότεραι δὲ χώραν ὑπαλλάττουσι* [1]).

Habemus igitur et scenam ductilem et scenas mobiles (*περιάκτους*), quibus omnis mutationum ratio efficiebatur. Sicuti id bene explicitum est apud Servium ad Virg. Georg. III. 24.

„Vel scena ut versis discedat frontibus." Scena, quae fiebat aut versilis erat, aut ductilis. Versilis tum erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur et aliam picturae faciem ostendebat. Ductilis tum, quum tractis tabulatis huc atque illuc species picturae notabatur interior."

§. 3.

Instituenda restat quaestio, utrum periacti tantum, nunquam vero ipsa scena mutata sit, sive versuris sive catablematis, an non.

Jam vertendo scenae faciem mutatam esse nec propter ejusdem magnitudinem credibile est et vel eo improbatur, quod vix tum oppositae essent scenae ductili *περίακτοι*.

Injectis vero tabulis id factum esse, si Polluci fidem habere volumus, non magis verisimile est,

---

[1]) Quamquam unam tantum versam esse haud consentaneum est.

quippe qui diserte dicat: *κατεβάλλετο δὲ (ὑφάσματα ἢ πίνακες) ἐπὶ τὰς περιάκτους, ὄρος δεικνύντα κ. τ. λ.*

Neque omnino ex ipsis, quae nobis supersunt, fabulis necessarium id fuisse colligere possumus. Etenim in Aeschyli Eumenidibus, quae inter tragoedias sola [1]) nobis suppeditat loci mutati [2]) exemplum periactos vertere satis fuisse clare patet. Periacti enim mutant locum et regionem. Num aliud quidquam requirebatur? Minime vero. Templum enim manebat eo tantum discrimine, quod non amplius Delphicum erat sed Atheniense. Itaque non est, cur scenam ipsam aliam picturae faciem retulisse credamus.

Numne autem in comoedia scenam eamque saepissime mutatam esse existimandum est? Fateor, nos quidem desideraturos fuisse, at non Graecos, qui illusionis, quam nos dicimus, minus cupidi lubentissime morem gerebant poetae, dummodo cautum esset, ne in errores incurrere possent. Id quomodo diligentissime ab Aristophane prospectum sit,

---

[1]) In Sophoclis Ajace nulla omnino id quod Genellius voluit, mutatio flagitatur; immo ab initio usque ad finem res ad mare prope Ajacis tentorium agitur, quemadmodum argumento quoque expressum videmus: *ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν τῷ ναυστάθμῳ πρὸς τῇ σκηνῇ τοῦ Αἴαντος.*

[2]) Aesch. Eumenid. 225. Cf. Mueller ad Aesch. Eumenid. p. 106.

quo luculentius appareat, unam ejus comoediam perlustrasse juvabit. Et in Acharnensibus quidem Dicaeopolis in scenam prodit pnycis instar exornatam

v. 20.. *ἀλλ' οὐδεπώποτ' . . . .*
οὕτως ἐδήχθην ὑπὸ κονίας τὰς ὀφρῦς
ὢν νῦν, ὁπότ' οὔσης κυρίας ἐκκλησίας
ἑωθινῆς ἔρημος ἡ πνὺξ αὑτηί.

quovis modo Lacedaemoniorum pacem paraturus. Quum autem Athenienses vanis barbarorum promissionibus falsisque legatis decepti nihil omnino de pace audire velint, ipse pro sua parte, Amphitheo advocato, cum Lacedaemoniis triginta annorum foedus init. Quo facto extemplo Dionysia celebraturus in agrum proficisci decernit.

v. 201. *ἐγὼ δὲ πολέμου καὶ κακῶν ἀπαλλαγεὶς*
ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰςιὼν Διονύσια.

Jam statim domus in media scena depicta fit Dicaeopolidis domicilium. Vertuntur *περίακτοι* et rustica oritur regio. Acharnenses summa ira summoque studio contra Lacedaemonios quique cum iis pacti sunt irruentes Dicaeopolin in mediis sacris versatum inveniunt, illico lapidibus interfecturi. Quorum animis aegre delinitis, ipse, quum defensionis sibi data sit venia, ut quam miserrimus visu misericordiam paret, sordidas Telephi vestes petiturus ad Euripidem se confert.

v. 393. ed. Dind. *ὥρα 'στὶν ἄρα μοι καρτερὰν ψυχὴν λαβεῖν*
καί μοι βαδιστέ' ἐστὶν ὡς Εὐριπίδην.

Proficiscitur, adest ad portam, pulsat *παῖ παῖ* (v. 395). Euripides *ἐκκυκλεῖται* et ex summo domus tabulato (v. 399. *αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ τραγῳδίαν.* cf. v. 409. *καταβαίνειν δ' οὐ σχολή*). cum Dicaeopolide confabulatur.

Ubi autem Euripides habitavit? Num in ipso illo agro? Hoc vix probabile videtur. Sin in urbe, quomodo tam celeriter eo pervenire poterat? Nempe Aristophanes, interni fabulae nexus tenacissimus, saepissime ut Aeschylus externa, veluti tempus et locum prorsus neglexit. Quodsi in talibus rebus Athenienses non offendebant, in externa scenae exornatione vix haeserint. Quamobrem aut fallor aut versis tantum periactis Euripides in ejusdem scenae domo habitasse existimandus est. Quae quidem sententia eo maxime probatur, quod jam in praecedentibus *διστεγίαν* aliquam descriptam esse cognovimus v. 262, ubi Dicaeopolis mulierem ex tecto pompam spectare jubet:

σὺ δ' ὦ γύναι, θεῶ μ' ἀπὸ τοῦ τέγους.

Jam quum omnia praeter unum impetrasset, redit ad Acharnenses

v. 480. *ὦ θύμ', ἄνευ σκάνδικος ἐμπορευτέα;*

orationem habet, e. q. s., ita ut quod fabulae superest ad Dicaepolidis domum actum esse accipiendum sit.

Neque vero praetermittendum est id, quod, si quando, scena saepe mutari debebat. Ad quod perficiendum non parvi flagitabantur sumptus, qui quantum a comoedia alieni fuerint, inter omnes constat.

V I T A.

Natus sum Lignitiae anno hujus seculi XIII die VI mens. Decemb. parentibus Henrico Sommerbrodt, Marchico, regis a consiliis aulicis et Julia e gente Treutleria Silesia. Qui belli periculis superatis redierunt mecum tres annos nato in pristinam supremi judicii sedem, Glogaviam, biennioque post Regis Clementissimi jussu Vratislaviam petierunt. Ubi scholae privatae commissus, quae tum sub auspiciis Reichii, viri summe venerandi, florebat, mox litteris mirifice delectabar. Tradebantur enim a praeceptoribus dignissimis, docendi facultate non minus quam candido puerorum amore conspicuis. Quorum summa ergo omnes benevolentia ita me devinxit, ut nihil antiquius haberem, quam ne egregie de me merita prorsus eluderem. Ita factum est, ut undecim annos natus civibus secundi ordinis Gymnasii Elisabetani adscriberer. Atque ibi quum auctore patre optimo, quem ante hos quinque annos acerbissima morte ereptum

lugeo, per sex annos retinerer, A. Wellaueri inprimis et G. Pinzgeri scholis tanto litterarum antiquarum amore incendebar, ut emensus curriculum scholasticum totum me iis dare apud animum constituerem. Nec deterreri me passus sum, sed examine a. XXXI superato, in academia Vratislaviensi, Wachlero, viro clarissimo rectore, confidenter philologiam professus sum. At mox aperto a viris doctissimis, Passovio et Schneidero ingenti philologiae ambitu indies crescebant studiorum meorum obstacula. Namque quum summa litterarum cupiditate flagrans omnia uno impetu conarer amplecti, nec tamen sufficerent vires, nunquam me quod proposueram assecuturum esse videns desperare fere coeperam de me meisque studiis. Neque aderat, qui juvenem a recta via magis magisque aberrantem reduceret. Mortuus enim erat paullo antea praeceptor dilectissimus Wellauer, ingenii copia incertum an animi virtutibus clarior. Accessit gravissimus omnium dolor ex repentina matris morte susceptus. Transeunte illa ad patrem, corruit summa meae vitae felicitas. Praepedita mens, laceratus animus, corpus morbo afflictum.

Cum ex pestifero illo torpore excitavit me benigna Passovii exhortatio. Quem enim pro magna mea hominum praeclarorum reverentia adire cunctabar, is ultro auxilium mihi obtulit, consilio atque opera me sustentavit summa benevolentia timidissimum beavit adolescentem vir generosissimus. Jam redire coepit animus, cognovi non desperando, sed strenue agendo optimorum parentum di-

gnissime me colere memoriam, idque quo melius possem, procul ab ea urbe, quae carissima mihi abstulerat novam, in qua animi et mentis vires exercerem, mihi quaesivi arenam. Atque ejusdem Passovii, Germaniae nuper erepti, consilio commotus, Lipsiam me contuli a. XXXII.

Ubi hercle quaecunque speraveram inveni, nec tranquillitatem tantum animi recuperavi, sed vana etiam et perniciosa quae me vexaverat ambitione abjecta saniorem studiorum rationem ingressus sum. Quemadmodum enim antea aliis aliarum disciplinarum veneribus allectus omnes delibaveram, ita tum omnes vires in unam rem intendere optimum judicavi. Itaque grammaticis potissimum studiis, quibus omnem philologiam niti constat, quantum potui operam dedi, duce Godofredo Hermanno, Viro Summo, qui qua eximia est benignitate, cum in Societatem Graecam me recepit, tum tot aliis benevolentiae documentis auxit, vix ut unquam debitas ei referre possim gratias. Neque quae viri clarissimi Brandesius, Wachsmuthius, Klotzius, Dindorfius, Kleeius, Weissius et privatim et publice apud me collocaverunt beneficia ulla unquam oblivio delebit.

Denique elapsis octodecim fere mensibus exeunte anno XXXIII in celeberrimam litterarum sedem Berolinum migravi. Ubi per integrum annum summo gaudio ingeniosis virorum omni mea laude superiorum scholis interfui Boeckhii, Lachmanni, qui me Seminarii philologici socium fecerunt, Zumptii, Steffensii, Trendelenburgii, quorum omnium memoriam gratissimo animo colere nunquam desinam.

Necdum sane frugifera illorum institutione me abdicassem, nisi rei familiaris angustiis quam celerrime studiis academicis finem imponere coactus essem. Quamobrem examine philologico ante hos quinque menses superato nunc summos in philosophia honores petiturus sum.